This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600045554T

NICOLAI HOOGVLIET

ORATIO

DE

LATIONE LEGIS PUBLICA, NON UNICO REVELATÆ RELIGIONIS DOCUMENTO.

Quam, ſi per Valetudinem licuiſſet, publice dixiſſet

A. D. VIII. Februarii CIƆIƆCCLXXVII.

Magiſtratu Academico abiturus.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAM. ET JOH. LUCHTMANS, 1777.

BODLE
8 ·18
LIBRAR

NICOLAI HOOGVLIET ORATIO DE LATIONE LEGIS PUBLICA, NON UNICO REVELATÆ RELIGIONIS DOCUMENTO.

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIÆ BATAVÆ CURATORES.

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE HUJUS URBIS PRÆTOR, CONSULES, JUDICES; QUIQUE IIS A CONSILIIS ET AB ACTIS ESTIS, VIRI GRAVISSIMI.

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGÆ HONORATISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME.

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES CASTISSIMI, PLURIMUM VENERANDI.

MATHESEOS ET HISTORIÆ NATURALIS LECTORES ACUTISSIMI, PERITISSIMI.

ARTIUM QUARUMLIBET DOCTORES ERUDITISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE LOCI ATQUE ORDINIS AUDITORES HUMANISSIMI.

TU DENIQUE ORNATISSIMA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CONCIO, ACADEMIÆ DECUS, PATRIÆ SPES, NOSTER AMOR, NOSTRA CURA.

Ea plerumque mortalibus eſt cogitandi & de rebus etiam maximi momenti judicandi ratio, ut, ſi quam ſententiam tamquam dubiam, incertam, planeve falſam, cavendam ſibi putant & repudiandam, non tantum in contrariam opi-

opinionem, a vera ſapientia haud raro longe magis remotam, devii præcipitesque ferantur; ſed, quod turpius multo eſt, ut gravior hujusmodi error fallaci liberalioris (ut dicitur) & erectioris ingenii facie eis blandiatur, eosque mirum ita in modum delectet, ut obſtmato animo cuncta tentare, abſurda quæque tueri malint, quam ab erroris ad veritatis amplexus ulla ratione perduci.

Dicti veritatem abunde nimis probant, qui animum a ſacratiſſima noſtra Religione alienum oblique produnt vel palam profitentur. Inanis ſuperſtitionis voraginem vitare exiſtimant, nec in incredulitatis ſcopulum, tot bonorum ingeniorum naufragiis infamem, ſe incidere animad-

 ver-

vertunt ; in eo contra non ſine voluptate hærent, parantque propugnacula quali-cunque religioſorum hominum impetu firmiora, ut opinantur, & invicta : talia ſcilicet excogitant &, antequam Chriſtianæ doctrinæ adſentiantur, veritatis exigunt documenta, qualia neque dari, neque ex rei natura dari poſſe, ipſi pulcre norunt.

Interjectis ejuſmodi poſtulatis elati & inflati Chriſtianam religionem reſpuunt non illi modo, qui nulla niſi Rationis oracula audienda eſſe dictitant, verum etiam, qui revelationem nobiſcum admittere ac venerari profitentur, Judæi hodierni. Hi enim a priſca Iſraëlitarum fide ſenſim ſenſimque miſerandum in modum degenerantes eo tandem devenerunt, ut

non

non modo præcipua argumenta, miracula inprimis, ex quibus Divinam Prophetarum auctoritatem clareſcere cenſemus, atque olim cenſuerunt ipſi eorum majores, nunc ad eam rem quidquam facere, vel unquam infallibilia veri teſtimonia haberi poſſe, præfracte negent, ſed &, ut Chriſtianorum demonſtrationibus nervos deeſſe contendant, audacter adfirment, unicam ſibi dari genuinæ Revelationis originem, unicam Divino legato notam, *Lationem* nimirum *Legis publicam.*

Eam certe viam recenti exemplo ingreſſus eſt vir ex ea in Germania gente ſine controverſia egregius, ſingulari acumine philoſophus, cujus laudibus nihil ego detractum velim. In Judæi ornatiſſi-

mi ſcriptis philoſophicis plurima adeo ni-tent, ut mihi, paucis maculis non offenſo, in deliciis eſſe, non ſit, quod diſſimulem. Ubi autem præter voluntatem eo eſt adductus, ut mentis de religione Judaica & Chriſtiana ſententiam aliquatenus aperiret, neſcio, num Iſraëlita Philoſophum; an Philoſophus Iſraëlitam; an vero utrumque pepulerit moderati ingenii nimia adfectatio.

Eam celebris viri de Religione ſententiam, quatenus ex una alterave epiſtola colligenda foret, ſermoni, qui mihi, faſces Academicos traditiuro ex more habendus eſſet, materiam deſtinaveram: non ut virum, a noſtris ſacris averſiſſimum, vel pro-

vocarem, vel immutarem, ſed ad domeſticos maxime uſus pertractandam.

Verum enimvero! ab eo fere momento, quo manum operi admoverem, languescentis diu corporis valetudo vehementer adeo ingraveſcebat, ut ea conflictanti mihi abjiciendum fuerit propoſitum, eatenus ſaltem limitandum, ut ex uberiori argumento quid ſeligerem, quod facili negotio, paucisque verbis, ſi qua facere mihi, ſecundante Numine, contingeret, expediendum videretur.

Dicam itaque tantum de LATIONE LEGIS PUBLICA, NON UNICO REVELATÆ RELIGIONIS DOCUMENTO.

Sive, ut diſtinctius quid mihi proponam intelligatis, id unum inquiram, *an ſapien-*

pienter ſtatuatur, non miracula, ſed ſolam Lationem Legis publicam Divinæ Revelationi certam cui adquieſcas præbere auctoritatem? Quod dum ago, de brevi & adſtricta magis, quam de concinna ornataque oratione ſollicitus, quæſo ut me, A. O. O. H. pro veſtra humanitate, attente, benigneque audiatis!

De miraculis multa hic diſſerere ab inſtituto meo alienum eſt. Nec ſane, quantum mihi quidem penſitare licet, multum ponderis habent, quæ ad miraculorum indicandam levitatem laudatus Judæus adjecit. Immo! ejusmodi ſunt nonnulla, quæ viro ſummi Leibnitzii æmulo excidiſſe nollem. Verum ea nunc præter-

tereo, principemque, quam memoravi quæſtionem, miſſis ambagibus, ingredior.

Nullum miraculum id efficere, ut de Revelatione Divinitus facta certi ſimus, eamque tuto amplectamur; eo vero unam valere lationem Legis publicam, contendit (quemadmodum intellexiſtis) magnæ famæ Philoſophus; eam cauſam dicit, cur, animo a Chriſtiana religione alieno, Judaicam conſtantiſſime profiteatur; eoque, acſi inexpugnabili plane præſidio, fidenter admodum gloriatur. „Sola (inquit) pu-
„ blica Legis latio luculentam ſatis; at-
„ que indubitatam, evidentiam ſecum tu-
„ lit. Hic non opus fuit, ut teſtimonium,
„ quo Legato fides conciliaretur, aliunde

„ accederet, cum congregatus populus
„ Divinum mandatum ſuis ipſe auribus
„ acceperit: hic non veritates ex *factis*,
„ non ex miraculis dogmata confirmanda
„ erant, ſed credendum fuit, Divinam
„ adparitionem illum Prophetam ſibi de-
„ ſignaſſe, ſiquidem unusquisque eam
„ ordinationem ipſe audivit. —— Fides
„ itaque noſtra Revelationi habita non
„ miraculis fundatur, ſed latione Legis".

Hæc neque ſine ſpecie dici animadver-
titis, neque absque ſupercilio. Non is
ego ſum, qui inficias eam inſignem certi
gradum, in quem Judaicam religionem
evexit Sinaïticæ Legis latio; vel qui emi-
nentiam ac ſplendorem, Iſraëli inde ortum,
imminuere, vel obſcurare ullo modo ten-
tem.

tem. Gloria ſane Iſraëlis lux noſtra eſt. Quo firmioribus radicibus nixa adparet olea Judaïca, eo celſius inſertis illi ex oleaſtro ramis verticem attollere licet. Talia vero, qualia vellet Noſter, inde ſibi elicere, aliisve obtrudere, arrogantis magis quam moderati ſapientisque eſſe videtur. Unam modo & alteram, cur ita ſentiam, delibabo rationem.

Ipſam, quæſo, contemplemur, quæ miraculis quibusvis opponitur, Legis in Sinaï monte lationem. Hiſtoriam adeo memorabilem omnes ſine dubio tenetis, ejusque circumſtantias, ad tremendi JEHOVÆ præſentiam, majeſtatemque trepidanti populo, Moſique tremebundo in-

dicandam, inſinuandamque terribilem in modum comparatas, in promtu habetis.

Id vero a vobis quærere mihi liceat, num illuſtriſſima illa deſcendentis Numinis indicia ex ſolito rerum curſu atque ordine, ſecundum fixas naturæ leges eveniſſe; an vero extraordinaria ea omnia fuiſſe & ſupernaturalia, exiſtimetis? Mira vobis accidere videtur interrogatio. Unanimi conſenſu cogitatis, ita rem memoriæ proditam eſſe, ut pleniſſime conſtet: hic plura conjuncta fuiſſe præſentis loquentisque DEI ſigna, quæ, ſi poſitum ſibi ordinem ſecuta eſſet natura, minime obtinuiſſent: tot, tamque formidoloſa in illum montem φαινόμενα non proprio motu coiiſſe, non creatis viribus collata, ſed

ſin-

ſingulari Numinis nutu convocata & concitata fuiſſe, ut, extraordinariis potentiſſimæ Majeſtatis documentis, naturæ univerſæ Regem atque arbitrum auguſtius ſeſe manifeſtaret Sinaiticæ legis Lator. Neutiquam diſſentio A. neque æquum rerum judicem, Judæus, Chriſtianusve fuerit, cum ratione diſſenſurum arbitror. Sed iterum ſententiam, obſecro, dicatis! Si ejus generis eſt latio Legis publica, an non ad ea Omnipotentis opera pertineat, quæ præter naturam fiunt, quæ vim numenque JEHOVÆ declarant, veri denique nominis miracula dici ſolent, atque merentur? Nonne ex ea, quatenus miraculi pleniſſima, omnis pendeat Moſis, legisque Moſaicæ auctoritas? Annuitis; & merito.

Tandem itaque judicium quæſo feratis, quo jure ajat Hebræus, non miraculum revelationem firmare, ſed Legis lationem? Omnino enim, vel miracula proprie vereque ſic dicta Religionis auctoritatem Divinam abunde demonſtrent; vel Judaicæ cœleſtis origo ſolâ (ut fert opinio) Legis latione, id eſt, vero miraculo probanda, nullo modo demonſtrata ſit, oportet.

Totum populum Legis lationis teſtem fuiſſe auritum, concedo lubentiſſime Judæo; ſed ex Philoſopho requiro, an id rei immutet naturam? Hiſtoria enim & traditio Legis lationis eſſet hiſtoria & traditio illuſtriſſimi miraculi, etſi interfuiſſent omnes gentes. Qui pro Lege Moſaica latio-

tionem ejus publicam adfert, licet in univerſi populi teſtimonio firmamentum & robur argumentationis, neque contemnendum, habeat, ex miraculo nihilo minus argumentum petere dicendus eſt.

Attamen „ hic non veritates ex *factis*, „ non ex miraculis demonſtrabantur do„ gmata ”. Audio, Vir moderatiſſime! Hæccine vero cogitanter ſatis adfirmantur? Veritas tibi ſine dubio eſt: Moſen ampliſſima auctoritate Iſraeli Divinitus præpoſitum fuiſſe: dogma tuæ Religionis ſit, ſemperque fuerit oportet, omnem legem, doctrinamque Moſaicam ab ipſo JEHOVA ortum ducere. Unde quæſo id populo in deſerto perſuaſum fuit? Unde & nobis hodie probatur? Ex publica latio-

tione legis. Recte. Quid autem? *factumne* tibi videtur ea Legis latio? illisne DEI operibus adnumeranda, quæ miracula audiunt? negare non ſuſtines. Videas ergo colligendum eſſe, te, ut aculeatis verbis deſpicatui ducas Chriſtianos, tuos æque tangere, reique infringere veritatem.

Sed forſitan excipiet Iſraelita, id ſe non adeo contendere, Legis lationem non eſſe factum ita plane divinum, ut naturæ vires excedat; magis vero, nulla, quæcunque fuerint, prodigia, præter publicam Legis lationem, ad fidem Prophetæ faciendam, ſatis pollere.

Tam ambigue, fateor, mentem expreſſit vir ſubtiliſſimus, ut eam hac ratione inter-

pre-

pretari poſſit. Eo vero ſi ſe recipiat, nobis cedat oportet, & revera cedit locum capitalem, quem huc usque inpugnavi. Non amplius ſibi invicem opponuntur Miracula & Latio Legis: hæc tantum illis, ut quæ ſola ſufficiat, præfertur.

Eo vero nondum res confecta eſt; pedem quidem, ut videtis, refert, ſed ad aliud tantum, quod prudens privilegiorum Judaicorum Propugnator ſibi reſervavit, propugnaculum; indeque ſeſe defendere pergit. Num tutius hic ſe habeat, explorare noſtrum erit.

Duram utique, ſi, quæ adfirmat, probare velit, provinciam ſibi ſumet. Nihil enim cæteris miraculis objicere ipſe ſci-

vit, quod non æquo jure, vel pari potius injuria, Legis lationi opponatur. Nulla contra in Legis latione laudantur, quæ non in compluribus Divinæ manus prodigiis eadem perſpicuitate luceant.

Si quis dubitet, exemploque rem illustratam velit, dabo, quod ad cauſam, quam defendo, vel maxime facere; ac peremtorium eſſe mihi quidem videtur.

Comparemus cum Sinaiticæ Legis latione publica illa miracula, quæ die, poſt DEI, Servatorisque noſtri paſcha ultimum, quinquageſimo, Spiritus S. deſcenſum ſignificarunt & comitata fuerunt, & adtendamus, an non hæc, ſi illâ non luculentiora ſint, ei certe nulla ex parte cedant?

Huc conferat inſtructiſſimus religio-

nis

nis ſuae Vindex ſingula, cur tantum tribuat Legis lationi, nihilque ei æquiparandum autumet: nos noſtra componemus.

Gloriari licet Judæo fulgetris, tonitrubus, denſa nube, igne ardente, monte usque ad radices tremente, penetrabili admodum tubæ ſonitu, & ſi plura ſingularem Divinæ Majeſtatis in fumantis Sinai verticem deſcenſum indicarunt, probaruntque præſentiam.

Verum quid, obſecro! die Pentecoſtes ſibi voluit ſonitus ille, inſtar ruentis flatus violenti, repente e cœlo auditus, & miro adeo moderamine ductus, ut unum maxime, quo conſidebant Jeſu Chriſti diſcipuli, locum repleviſſe, unicuique conſtiterit

rit audienti? Quid præterea nubecula ignea, quæ, dum de cœlo delabebatur, in flammulas totidem ſeſe diſpertivit, atque aderant deſignandi DEI legati, veritatisque teſtes? Vel ſane vehementiſſime fallor, vel hæcce æquo rerum arbitro deſcendentis Spiritus Divini, ejusque virtutis, viros illos ſibi occupantis, ſigna habenda ſunt, longe quidem minus terrifica, nihilo tamen minus lucida vel auguſta, nec magis dubia, licet ad ſuaviſſimum gratiæ Euangelium multo magis adtemperata.

DEUS ipſe elocutus eſt omnia verba Legis.

Quid vero evenit notabili Pentecoſtes die? Homines novi, plebeji, inculto in-

ge-

genio, qui ne leviter quidem unquam literas attigerant; rerum ignorantia, ſermonisque ruſticitate cogniti, notatique Galilæi, eodem tempore loqui inſtituunt linguis, ſine diſcrimine, diverſis; quacunque lingua utuntur, volubiliter dicunt, ac ſententioſe; res DEI magnas atque illuſtres tanto amplificant eloquio, ut in ſtuporem abripiant attonitosque teneant viros, ex quavis gente, honeſtos piosque, qui eos lingua & oratione ſibi patria, ſeu nativa, non minus ſcite, quam ſi ſui gentiles eſſent, loqui, uno ore conteſtantur.

En miraculum, novum plane, prorſus inauditum, quocunque, quod ſolo corporum motu abſolvitur, longe majus, &

 omnium,

omnium, quæ unquam & usquam patrata fuere, forte maximum! Si quis enim diligenter, ac præjudiciis vacua mente, adtendit cum vocem verborum in aëre formatam, & intolerabili adeo vi ad intima præcordia penetrantem, ut eam ſupplex deprecari neceſſe habuerit, mortis metu correptus, totusque contremiſcens Iſraël; tum noſtros homines, qui linguas, in quibus ante horam ſurdi, mutique fuiſſent, pulcre & probe ſe intelligere ſine mora, ſine hæſitantia oſtendunt; qui eis dulciſſima inſtituunt, quibus commotæ mentes tranquillentur, colloquia, orationemque habent, ad compunctos animos, efficaciſſimo ſolatio, recreandos, divine compoſitam: is denuo de vocis legem ferentis gravitate, & aſpe-

aſperitate nihil ingredi lenem, quæ die Pentecoſtes audita fuit, orationem animadvertit; hanc vero DEI loquentis indicia homini cogitanti exhibere minus perſpicua, quam quæ Iſraëli habuit illa, non facile, (modo, quid ajat, intelligat,) adfirmaverit. Sanctum ipſum Spiritum in iſtis Galilæis loqui mortalibus cœpiſſe verba Euangelii, remiſſionem peccatorum unicuique, Jeſum Chriſtum ſincera fide amplexuro, adnunciantis, ſignis hic exploratum fit omni luce clarioribus.

Cum Moſe in montis vertice per quadraginta dies commoratus JEHOVA fuit, totamque legem communicavit, quam ille, horribilis adeo viſi magnificentia inauguratus, ore deinde & cala-

lamo Iſraëli repeteret, traderetque.

Spiritus Sanctus Galilæis cunctos cognitionis, ſapientiæque divinæ fontes aperuit, unde regia Lex, quæ fidei, quæ libertatis eſſet, eis manavit univerſa: non enim ad quadraginta dies, non ad totidem menſes, ſed ad omnem vitæ miniſteriique curriculum, in eorum ipſe animis ſedem fixit: procul dubio, ut placidioris επιφανειας ſplendore initiati dulciſſimas recluſi Euangelii delicias, leni ſubinde, & ex eodem continue fonte fluente, præconio longe lateque diffunderent, tandemque eas collectas, literisque conſignatas populo, qui gloriæ Regi ex quavis gente redemtus, per omnia ſæcula eſſet congregandus, proderent, tamquam ſalutaris doctri-

næ,

næ, cum Moſe & Prophetis, ſcaturiginem abundantem ita, & perennem, ut ex ea plenitudine DEI ſermonem, & quid Spiritus dixerit Eccleſiis, ad glorioſiſſimum Servatoris usque reditum, vere eſſet recepturus: neglectis cujuscunque oralis ſive legis, ſive traditionis paludibus, utpote ſuperfluis, humanamque originem nimis redolentibus. Id autem immutabilis Soſpitatoris adſtricta fides, deſcendentis Spiritus fines, ſtupendi eo die effectus, nec non memorabiles adeo, neminique negandæ, quæ in Remp. Judæorum, totumque fere terrarum orbem, introductæ ab eo tempore fuerunt, mutationes converſionesque, mirifice illuſtrant, probantque tam manifeſte, ut nihil ſupra.

Fidentius hic procedat oratio. Non

enim ſereno, quo Spiritus effuſus, die amotus fuit proculve ſtetit populus; non ad caliginem abierunt Apoſtoli: ſed nova, ſed pleniore gratiſſimaque luce circumfuſum ſe ipſe Spiritus S., totumque ſuum opus conſpiciendum præbuit, &, quid ſibi vellet, ſedate inquirendi, libero cuique acceſſu, reliquit facultatem. De teſtibus ſi quæritis, tam publice res acta eſt, ut per ſuam naturam, præſentemque Iſraëlis, inter alias gentes, diſperſi conditionem, publice magis fieri non potuerit. Teſtes oculati & auriti fuerunt omnis in Iſraële mas; Judæi, viri religioſi, ex omni, quæ ſub cœlo, natione, ad ſolemne feſtum Hieroſolymis commorati; immo! cum & aliarum quarumcumque gentium

maxi-

maximi intereſſet, ex omni fere natione, Iſraëli acceſſerunt, qui origine (ut dicuntur) Ethnici, ad Judæorum ſacra admiſſi, Proſelytorum nomine veniunt: totidem quaſi legati, qui, moderante Spiritu, earum gentium nomine toti negotio interfuerunt, novum, inopinatumque de cœlo nuntium ad ſuam quisque gentem manifeſto teſtimonio tranſportaturi. Quanta autem horum teſtium fuerit multitudo, ex tribus, eo die Chriſto adſcriptorum hominum, millibus colligere in proclivi eſt.

Inanis foret de majori, minorive evidentiæ, vel certi gradu diſputatio: eum utrinque eundem eſſe, adſerere licet, ſed alius quodammodo generis, pro variis

dicti, & quod ad DEI naturam, cultumque attinet, in alia omnia euntes, difficillime novam, ſuisque opinionibus adeo inimicam, doctrinam eſſent admiſſuri. Ejusmodi populis hominibusque ut, ingenio ſuo convenienter, certa fieret Chriſtianæ Religionis Divina origo, ea in primis congruebant ſigna, ac documenta, quæ, cum ſenſus lenius adficerent, mentem maxime occuparent; quæ attentionem traherent, quæ admirationem moverent, quæ inveſtigandi ſtudium excitarent, quæ denique Rationi, poſtquam omnes fraudum, ſuſpicionumque latebras peragraſſet, ad pleniſſimam perſuaſionem fidemque, abunde eſſent. Talia autem excellentiſſimo modo fuiſſe, & etiam nunc eſſe, mira-

cula Pentecoſtalia, eorumque, quos tetigi, effectus, atque ſequelas, maxima fiducia adfirmamus.

Hæc etſi abunde ſatisfacere putem, leviter tamen aliud, nec minus palpabile, tangam argumentum.

Notæ nimirum illæ, quas interioribus, ad ipſam naturam argumentumque Revelationis pertinentibus, ſuperaddere voluit DEI optimi clementia, non adeo ad probandam doctrinam, ac quidem ad auctoritatem addendam Divinitus conſtitutis ejus Fundatoribus; illæ notæ, ut vocantur, externæ a ſummi Conſtitutoris arbitrio pendent, qui, ut πολυτροπως patribus olim fuit locutus, innumeris modis deſigna-

tos

tos ſibi Prophetas indicare novit, quique ſignis pro rerum, hominumque varietate variatis, optime ſeſe totius Revelationis, haud uno tempore conſummandæ, fontem demonſtrat & ſcaturiginem. Qui itaque hujusmodi notas poſtulare, qui eas definire, immo, quod plus eſt, qui uni ſoli omnem vim atque evidentiam attribuere, eique ita inſiſtere ſibi adrogat, ut cæteras, quantumvis indubias, admittere, vel adtendere dedignetur, is ſane vanitatem prodit incredibilem; ſummæ Sapientiæ, quemadmodum poteſtatem, majeſtatemque oſtendat, præſcribit; nullam ante Moſis ætatem Religionem vere Divinam, vel certe ſatis firmatam, in orbe fuiſſe docet; ſanctiſſimo JEHOVÆ im-

imprudentiſſime adfingit, ipſum ad Iſraëlitas, in Ægypto laboribus ingementes, ablegaſſe Moſem, vera & unica Divinæ miſſionis nota prorſus deſtitutum; Pharaonem, ſuperbiſſimum regem, qui ſignis tantum & prodigiis, nunquam non fallibilibus obnixus cedere detrectaverit, contumaciæ crimine ſolvit, culpaque liberat; plura, auribus animisque ſapientum abſurda, una hac cauſa quaſi ex induſtria cumulare videtur.

Ultimum tandem Iſraëlitæ luſtremus confugium.

Huc enim redit probabilior ejus argumentatio: nullam dubitationem apud eum relinquit Judaicæ Religionis origo, quippe quæ ex publicæ Legis lationis

 fonte

ſonte manavit : quod de alia quacunque nemo adſirmaverit. Id ei ſufficit. Præterea religionem a majoribus ſibi traditam ſeveriſſimo, ad quod non niſi Philoſophia, artibusque ingenuis probe, diuque inſtructus, acceſſit, examini ſubjecit : legit, comparavit, ſibi conſtituit. Veram nimirum adeo, adeo certam, confirmatamque patriam religionem expertus fuit, ut tranquillo lætiſſimoque animo ei plane pleneque adquieſcat, atque immota mentis conſtantia earum partium eſſe velit, donec totus animus novam induerit naturam.

Aliam vero, Chriſtianam maxime, religionem, ejusque opiniones, ac dogmata ſublimiora, licet erronea habeat, credulis magis æqualibus relinquit, utque

eis delectentur, eis enodandis, probandis, vindicandis deſudent facile patitur; ad popularia ſcilicet ſpectant præjudicia, quæ Religionem & Jus Naturæ non evertunt, quibus ſeſe non opponunt generoſi ſocietatis, paciſque publicæ amici, præſertim ſi fortuito promoveant humani generis felicitatem.

Magni, gravis, auctoritatemque nacti Viri hæc omnino oratio eſt: talium enim virorum probatio nonnunquam ſola adſeverantia eſt, & perſeverantia; ſolitique ſunt, ſibi cum paucis veri ſapientiam adrogantes, deſpicere abjectum mortalium vulgus, quod, dum humi, humiliſque ingenii opinionibus adfigitur, mirum quantum debet moderatæ ſummorum virorum

benignitati, qui vermiculos iſtos pedibus haud conculcent. Sed rem ipſam paulo penitius inſpiciamus.

De bona fide Viri, in quo ingenii non modo acies, ſed & animi candor, veritatisque ſtudium laudatur, dubitare nefas eſt. Perſuaſæ mentis ſententiam de cultu Numinis ſequi, integrum cuique ſit oportet. Nec contemnenda fidei perfectio eſt, ſi eam conſequatur firmitatem, qua novis erroribus non denuo fluctuet. Unum tamen eſt, de quo ambigere forte liceat: num Judæus, Judaicæ Religionis ductu, ad veram expeditamque mentis, ſalutem anhelantis, in DEO quietem pervenerit; an vero Philoſophus, familiari nimis Revelationem præ-

con-

conceptis opinionibus adcommodandi ſtudio ſurreptus, inani ſopitus fuerit ingenii ſecuritate?

Ejusmodi enim nobis non videtur antiqua Revelatio, in qua, etiam noſtra nunc ætate, conquieſcant candidi ſupremæ felicitatis ſectatores. Quod in pleniore paulo luce collocare cauſa flagitat. Ne tamen cancellos, quos ipſe mihi præſcripſi, excedam, curabit difficilis, quem mecum habeo, brevitatis Monitor.

Quicunque ſapit, Moſaici cultus rationem, atque indolem cognoſcere non ſtudet ex Talmudiſtarum voluminibus, Rabbinorumque commentariis, quibus oralem Legem tradi, atque illuſtrari præ ſe ferunt Judæi.

Eis enim, poſt inſignes Euangelii in orbe progreſſus ac triumphos, demum corraſis, vera, id eſt, ſcripta Lex humanis additamentis, anilibus ſine numero nugis, contradictionibus impudenter apertis, pervertitur, deſtruiturque; eis præclara, quæ Majores gloriabantur, fidei doctrina de manibus animiſque nepotum ſenſim ſenſimque elabitur, & in alia omnia ire jubetur miſeranda Patriarcharum progenies.

Id ita inter omnes conſtat, ut plane intactum prætermittere noluerit ipſe Vir perſpicaciſſimus. Sed ita tangit, ut generatim confiteatur, ſe humanis additamentis, nulli non deplorandis, ſuam Religionem minime immunem reperiſſe, ſimul vero cum ſuperſtitionis erroribus, qui, intaminato plane

Codice S., Chriſtianorum ſectas, earumque doctrinam, cultumve infecerunt, confundere ſtudeat iſta humanæ nugacitatis figmenta, quæ ipſas, (quod bene notandum) Auctoritates, Judæis ſine controverſia admittendas, fœde adeo conſpurcant, ut alicujus acuminis virum tales fontes, tanquam revera oralem ſanctiſſimi JEHOVÆ Legem tradentes, bona fide venerari, vix credibile nobis videatur.

Sapiens itaque ex puriore fonte limpidam Iſraëlitarum fidem haurit, ex ipſis Moſis Prophetarumque oraculis: quæ dum conſulit, clare videt, horum omnium, ut ita dicam, nucleum eſſe rem ſummi momenti: Numini nimirum clementiſſimo conſtitutum eſſe, ut homo, qui, admiſſo

miſſo peccato, maxima culpa, pœnaque tenetur, morte liberaretur, eique vita recuperaretur intercedente Redemtore, & Reconciliatore Divino, humanitatem nec alio fine ſuo tempore induturo. Facillime perſpicit, eo repetita JEHOVÆ de Mulieris, Abrahamique Semine, in quo omnes olim gentes beandæ eſſent, promiſſa; eo ſtupenda, quibus Jacobi nepotes populum ſibi peculiarem vindicavit, miracula; eo ſplendida Iſraëlis, præ cæteris gentibus ſelecti, eminentisque populi, ornamenta & privilegia; eo innumeros cultus Levitici ritus; eo Prophetarum vaticinia omnia tetendiſſe, atque in id collineaſſe, ut ne maxima fidei exſpectatio, quibusvis gentibus communis, huma-

mano generi penitus excideret; ſed publicis monimentis obſignata vigeret, ac ad omnium ſæculorum poſteritatem propagaretur; ut purioris Religionis Divinum depoſitum una gens Iſraëlitica pro omnibus acciperet, incredibilique diligentia ſervaret, illud ſtatuto tempore cæteris nec ſine magno fenore reddituta; ut exoptatiſſimi Soſpitatoris, non modo Spei Iſraëlis, ſed & Gentium Deſiderii characteres deſignarentur, munera delinearentur, labores adumbrarentur, inſecutura gloria depingeretur, maximæ tandem adnunciarentur, quas ſecum ille toti terrarum orbi laturus eſſet, pacis ſalutisque divitiæ.

Ex primis hiſce lineis ſatis adparet,

qualis Religio ſit, quam vere ſic didixeris, Judaica. Patere hic videmus omnem omnino humanæ ſapientiæ aciem longe præcellentem viam, qua cum immutabili legis Vindice, illæſis ejus virtutibus, in gratiam redeant, inque priſtinam integritatem, felicitatemque reſtituantur mortales, qui ſua culpa in miſeriarum barathrum præcipitati, ſua induſtria, viribusve propriis emergere nunquam potuiſſent. Nihil in divina illa ſalutis ratione deſiderandum. Verum enim vero in promiſſis, in umbris, in prædictionibus ſubſiſtit univerſa illa Revelatio. Ad ultimum usque verſum vetera ea Oracula exſpectandum ſalutis Recuperatorem canunt futurum: de ejus ſuo tempore adventu, quo indicatis ſignis

ſignis reſponderit, adumbrato munere fuerit functus, & revera præſtiterit promiſſa, nihil quidquam.

Veſtram itaque fidem A. an in ejusmodi Revelatione, ut ut maximi facienda, adquieſcere poſſit, qui, quantum ab re ipſa & veritate diſtent imagines atque picturæ, noverit; qui animadverterit, ab eo omnem ſibi pacem pendere, in quo eum plane deficiunt Moſes & Prophetæ!

Facile intelligimus, lubenterque concedimus, Jacobi venerabilis ſenectute, pietatis conſtantia venerabilioris longe viri, & quotquot ad ejus exemplum diem obierunt ſupremum, tantam in Divina fide fiduciam fuiſſe, ut JEHOVÆ promiſſis totos ſe dediderint, etſi rem ipſam non

cernerent, exſpectationique dilatæ immorerentur. Sic ſane decuit, cum tempus Meſſiæ conſtitutum nondum adeſſe omnibus conſtaret, neque eveniſſent rerum publicarum viciſſitudines, quæ adpropinquantem ejus adventum ſignificarent; cum denique talis eſſet Iſraëliticæ gentis, ſingularum tribuum, templi, cultus Levitici, rerum plurium conditio, ut ad illum exſpectandum & ſine errore agnoſcendum omnia eſſent compoſita. Hodie vero alia longe rerum facies. Tempus Meſſiæ conſtitutum elapſum jam diu eſſe, nemo negat Calculator; prænuncia orbis populique Judaici fata præteritorum diu ſæculorum annales referunt; miſera gens extorris patriâ expulſa eſt; tribus irrevocabi-

bili negligentia turbatæ; vaſtatum funditus eſt templum, omnisque, qui templo alligatus, ceſſat cultus; cuncta uno verbo ita ſunt dilapſa & everſa, ut Meſſias, ſi etiam nunc exſpectandus, prophetarum vaticinia nulla ex parte exprimere poſſet. Accedit, quod minime prætermittendum, duodeviceſimum ad finem jam vergere ſeculum, a quo, evanida, quæ nonnunquam adfulgere videbatur, ſpe, fruſtratisque inſtaurandæ Reipl. tentaminibus, ad ultimam eam tenuitatem, ignominiam, deſperationemque, viſibili Numinis vindictâ, res Judaicæ fuere abjectæ.

Tantæ quidem iſtæ difficultates ſunt, ut animi tranquillitatem percipere minime patiantur; inquietas contra ſapientis

bonique viri magis adaugeant cogitationes.

Supereſt ut videamus, an hoſce ſcrupulos feliciter ſatis ex mente evellant Judæi recentiores, alia ſubinde & alia comminiſcentes, quibus in Majorum, ut ajunt, Religione ſine ſolicitudine ſe manere ſibi aliisque perſuadeant; quæque philoſophando ornare ſeculi ſui Plato inprimis eſt adgreſſus.

Maximos, quos dixi, Revelationis ſuæ defectus diſſimulant, &, quaſi ſuperſtitioſis Chriſtianorum interpretamentis originem debeant, diffitentur. Eximiam illam divitemque ſpem, quam toti hominum generi divinitus factam eſſe intelleximus, ut

ut inanem eſſe abjiciendam opinantur. Nihil continere Legem & Prophetas adfirmant, quod ad alias gentes ullo modo attineat, vel quamobrem ad revelatam ſuam Religionem quemquam, Iſraëlitis parentibus non natum, allicere, aut permovere nitantur. Num celebratiſſimus Meſſias promiſſus, adumbratus, prædictus ſit, in dubium vocare; ſuaviſſimum ejus, patribusque exſpectatiſſimum adventum tanti non facere, deſpicere cœperunt. Neque mirum! omnem enim expiationis, ſalutisque univerſæ rationem, quam Moſaici cultus ritibus delineatam credunt Chriſtiani, vix ac ne vix quidem admittunt: inter res certe ſublimiores ſeponere videntur, quas, cum meræ con-

tem-

templationis ſint, & ad hominum mores felicitatemque ſocietatis minus faciant, ſuo loco relinquendas, &, ne controverſiæ inde oriantur, prudenti ſilentio involvendas cenſent moderati pacis cultores. Tota revelatio, præter legem Moralem, quam eandem natura æque cognitam habent, & ex naturali religione obſervant reliquæ etiam gentes, nihil eis complectitur, niſi Legem ritualem, uni Abrahami poſteritati injunctam: injunctam, non ut olim, inſtanti rei veritati cedentibus umbris, abrogaretur, ſed tamquam ſempiternum externæ obſervantiæ ſine fructu, ſine fine ſalutari jugum; onusque ita grave, ut invidia digna cenſeatur Groenlandorum natio, qui revelatione deſtituti natu-

turalem Legem diligentius, ut ſama fert, ſequantur, quam quidem ſoliti ſint Judæi. Eis denique veritatibus, (ut loquimur), & præceptis, quæ cuivis religioni ejusdem momenti, & ponderis ſint oportet, veram, & quibuscunque gentibus eandem, ſalutis viam pandi, haud obſcure inculcant.

Huccine tandem Iſraëlitica fides recidit! Hoccine erit Majorum religioni immota conſtantia adhærere! Hanccine menti mali conſcientia turbatæ amplectemur ſecuritatem!

Sane vero! quis ignorat, qui modo unquam mediocriter iſtas res ſcire curavit, quin Revelatio, quæ nihil gravius, nihil ſolatii plenius, nihil cum humani ge-

neris utilitatibus, populique ipſius Iſraëlitici felicitate, gloriaque conjunctius, Naturali Religioni addidiſſet; quæ nihil niſi ſterilem ſine beneficio, ſine commodo ſalutari Legem eſſet complexa; quin ejusmodi Revelatio ſuprema Majeſtate pariter ac ſapientia indigniſſima ſit; nec, niſi contumelioſe lædere velis ejus virtutes, JEHOVÆ adfingi, vel ſine ſuperſtitione pro fidei fundamento haberi queat!

Quem fugit, univerſam Oeconomiam veterem ita conformatam eſſe, ut cuique leviter modo adtendenti non clareſcere non poſſit, tandem Iſraëli delineatam ſalutis rationem cum reliquis populis fore communicandam! Quem latent tot, tam clara, & illuſtria, nec aliorſum facile detorquenda de vocandis, ope Judaeorum

rum vocandis gentibus, vaticinia! Quis non ingenuo cum veri amore difficulter conciliarit, ſi quis cuncta hæcce premat, ac ſi ad Judaicam Religionem nunquam pertinuiſſent, ac ſi antiquæ Revelationis utramque paginam non faciant; quaſi abſolvatur tota & perennis Religio Judaica literali ſine ſpiritu cærimoniarum Lege, quæ non niſi exterior ejus & typica adumbratio fuit, ob graviſſimas rationes ad tempus introducta: ut nimirum colore quodam præ ſe ferat, ſuae Religionis non eſſe, ullo modo conari, ut ad alios unquam propagetur! Quod quidem abſurdorum omnium mihi videtur abſurdiſſimum.

Interim cauſæ ſatis videmus, cur aliquis, a controverſiis etiam minus alienus, quam

ſeſe profitetur Philoſophus Berolinenſis, ulteriorem de Religione diſcuſſionem ſpecioſis rationibus declinaret, conſtanterque detrectaret.

Qui Deum novit & hominem, non uti fingitur, ſed uti revera eſt, indignatione ac dolore commovetur, dum ſecum in animo conſiderat varia molimina, quibus Divinitus traditæ diſciplinæ obluctetur vanum, ingratumque mortalium genus. Non modo cœleſtem, quæ veram expiationis rationem patefecit, Sapientiam ſtulte ſeponunt, ſed &, quæ in Religione Naturali extant, neceſſariæ Revelationis fundamenta ſubruere minime verentur. Virtutibus Divinis tantum derogant, tantumque attribuunt abſurdi; humanis contra tantum viribus addunt, deque humana corruptione

tan-

tantum demunt, quantum poſtulat laxioris Religionis compages. Quaſi vero, ad hominis DEO adverſantis figmenta, DEI hominisque immutetur natura! quaſi vero, audacibus philoſophantis ingenii adſertis, veritas eorum, quæ ratio & experientia conſtantiſſime docet, diffletur, atque evaneſcat! Quantam male luminatorum hebetationem! Parum abeſt, quin eam puerorum iſti aſſimilem, qui circumſtantia lumina extincta eſſe, neminique ſe conſpici, modo ſuos oculos claudant, ſibi obtrudi patiuntur. Infelicem proterviam! miſſo Divinitus allato, oblatoque legis transgreſſori ſolatio, ſuis ſe credere opinionibus; unde ſi quis plena pace frui præ ſe fert, vel ſimulet, vel ſomniet neceſſe videtur.

Creſcit dolenti animo indignatio, dum harum machinationum fines perſpicit. Ita videlicet procedunt, ut hominis, qualis nunc eſt, corrupti Virtutem; Virtutem ultra propria commoda, ultra ſocialem certe in his terris vitam non progredientem; utinam ne tandem quoque Virtutem plane αθεον! veræ felicitatis, ſalutisque æternæ cauſam prædicent & viam: ut de Ethnicorum poſt funera fato, quod omni ævo ſapientiſſimos, prudentiſſimos, moderatiſſimosque viros, tamquam res perdifficilis & perobſcura, tanto jure ſuſpenſos habuit, adſeveranter definiant: ut, pro decantata Φιλανθρωπια, turgidis mortalium animis ſatis blandiente, ſi modo DEO ſatis amica, declamitando, aliis, qui latam illam viam (ex ingenii ſcilicet anguſtia) ſequi recuſant, invi-

diam

diam concitent, eorumque, qui ſpecioſis verbis, re incognita, capi ducique ſolent, odium.

Satis enim, ut opinor, perſpicitis, quo tendat Hebræus Philoſophus, quorum ſermonem imitetur.

Cernitis, abſurdi nihil habere, ſi quis, propter ſuas rationes, profeſſione Judæus ſit, Judaicosque ſuo modo ſequatur ritus; animo vero ſalutem omnem quærat ex doctrina, de qua cum Confucio vel Solone, ſi inter æquales eſſent tanti viri, ſubito concors foret animorum ſententia.

Cernitis planam omnino viam, qua bella, rixæ, cunctique, in cauſa Religionis, animorum motus evitentur, communisque Religionis pomœria, faventibus undique auſpiciis, præter exſpectationem profe-

fe-

ferantur: ſimul autem animadvertitis, quibus revelata Religio curæ cordique eſt, ita nomen, externamque ejus formam retineri, rem vero ipſam revelatam moderate convelari, hominumque cognitioni & fidei pacifice ſubduci.

Utinam ſimul in ſpeculo hocce Judaico intentis oculis animisque contemplemini, quid revelata Euangelii noſtri doctrina brevi ſit futura! quales noſtræ quoque Eccleſiæ exſpectandi ſint Chriſtiani, ſi adultera eadem, vagaque Tolerantia animos variis artibus faſcinare pergat, ejusve principia, ac præcepta credulæ nimis, & miſere nonnunquam fluctuanti juventuti ingerantur!

DIXI.